

PROPHETIA NAHUM.

NAHUM idem est quod Noë, scilicet Consolator. Censent Hebraei eum Manassis scripsisse temporibus. Sub Ioatham Nahum vixisse, & eum Assyriorum ac Ninives subversionem prædixisse, quæ post 115. annos completa est, affirmat Iosephus. Cùm ex illo temporis spatio colligendum potius fuisset eum prophetavisse sub Achazo Ioatham filio, qui regnum auspiciatus est anno mundi 3262. ante Christum 742. ut in libris Regum annotavimus. Etenim Ninive ab Nabopolassar magni Nabuchodonosoris patre funditus everfa est, Iosia apud Iudæos regnante, anno Mundi 3378. ante aram Christi 626. Quod ex Chronologia nostra clarius patebit.

CAPUT PRIMUM.

Zelus Dei adversus hostes suos qui patiens est & fortitudine magnus, cuius ira nemo potest resistere, & in se sperantium est liberator, suique populi hostes est consumpturus.

Omnis Ninive: Liber visionis Nahum Elcesæi.
2. Deus æmulator, & ulciscens Dominus: ulciscens Dominus, & habens furorem: ul-

ciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.

3. Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate, & turbine viæ eius, & nebula pulvis pedum eius.

4. Increpans mare, & exsiccat illud: & omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit.

5. Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt: & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo.

6. Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est ut ignis: & petra dissoluta sunt ab eo.

7. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & sciens sperantes in se. *

* 2. Tim. 11. 9. 8. & in diluvio prætereunte, consumptionem faciet loci eius: & inimicos eius persequentur tenebræ.

9. Quid cogitatis contra Dominum? consumptionem ipse faciet: non confurget duplex tribulatio.

10. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium: confumentur quasi stipula ariditate plena.

11. Ex te exhibit cogitans contra Domi-

num malitiam: mente pertractans prævaricationem.

12. Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint: & ita plures, sic quoque attendentur, & pertransibit: afflixit te, & non affligam te ultra.

13. Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo, & vincula tua dirumpam.

14. Et præcipiet super te Dominus, non feminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile, & confatibile, ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es.

15. * Ecce super montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem: celebra Iuda festivitates tuas, & redde vota tua: quia non adjiciet ultra ut pertransseat in te Belial: universus interiit.

CAPUT II.

Obsidio Ninive, eiusque à Chaldeis depopulatio, quia superbe egit contra populum Domini.

Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde.

2. Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israël: quia vastatores dissipaverunt eos, & propagines eorum corruperunt.

3. Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitûs in coccineis: igneæ habentur currûs in die præparationis eius, & agitatores consopiti sunt.

4. In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis: aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

5. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros eius, & præparabitur umbraculum.

6. Porta fluviorum aperta sunt, & templum ad solum dirutum.

7. Et

7. Et miles captivus abductus est: & ancilla eius minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis.

8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ eius: ipsi verò fugerunt: state, state, & non est qui revertatur.

9. Diripite argentum, diripite aurum: & non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.

10. Dissipata est, & scissa, & dilacerata: & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.

11. Ubi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc, catulus leonis, & non est qui exterreat?

12. Leo cepit sufficienter catulis suis, & necavit lænis suis: & implevit prædâ speluncas suas, & cubile suum rapinâ.

13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & succendam usque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius: & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur ultra vox nunciorum tuorum. *

* Mich. 7. 11.

CAPUT III.

Ninive urbs sanguinum sub nomine adulteræ vastanda prædicatur: quod exemplo Alexandria à Babylonis devastata confirmatur: nec erit qui Ninive condoleat, aut eam consoletur super ipsius devastatione.

Ezech. 24. 9. Hab. 2. 11. **V**æ civitas sanguinum, universa mendacij dilaceratione plena: non recedet à te rapina.

2. Vox flagelli, & vox impetûs rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis ascendentis:

3. & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ: nec est finis cadaverum, & corruent in corporibus suis.

4. Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficiâ, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis:

* Isai. 47. 3. 5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua in facie

tua, & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.

6. Et projiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.

7. Et erit: omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet: Vastata est Ninive: quis commovebit super te caput? unde quæram consolatorem tibi?

8. Numquid melior es Alexandria * popolorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu eius: cuius divitiæ, mare: aquæ muri eius.

9. Æthiopia fortitudo eius, & Ægyptus, & non est finis: Africa, & Libyes fuerunt in auxilio tuo.

10. Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem: parvuli eius elisi sunt in capite omnium viarum, & super inclytos eius miserunt sortem, & omnes optimates eius confixi sunt in compedibus.

11. Et tu ergo inebriaberis, & eris defecta: & tu quæres auxilium ab inimico.

12. Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.

13. Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adaperitione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis veteres tuos.

14. Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: intra in lutum, & calca, subigens tene laterem.

15. Ibi comedet te ignis: peribis gladio, devorabit te ut bruchus: congregare ut bruchus: multiplicare ut locusta.

16. Plures fecisti negotiationes tuas quàm stellæ sint cæli: bruchus expansus est, & avolavit.

17. Custodes tui quasi locustæ: & parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ confidunt in sepibus in die frigiditatis: sol ortus est, & avolaverunt, & non est cognitus locus earum ubi fuerint.

18. Dormitaverunt pastores tui, rex Assur: sepelientur principes tui: latitavit populus tuus in montibus, & non est qui congreget.

19. Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te: quia super quem non transiit malitia tua semper?

* Hebr. No. urbs in Pharo ficta, ubi posita condita Alexandria, cuius nomen ibi & Jerem.

46. 25. per positum est. Hæc autem de bello intelligi debent, quod Sennacherib cum rege Sethone gefit, in quo ad partes interiores Ægypti penetravit; indeque captivam multitudinem secum educit. Vid. Isai. 20. 4. Anno M. 3292.

Anr. Chr. 712.